



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XX. Vtrum conueniat Deo libertas indifferentiæ circa res creatas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

QVÆSTIO XX.

Vtrum conueniat Deo libertas indifferētia circa res creatas.



IDETVR non conuenire. 1. Quia volens necessariò finem, quantum volibilis est, necessariò vult omnia, quæ sunt ad finem, & sunt volibilia propter ipsum: sicut necessariò cognoscit conueniens, qui necessariò comprehendit antecedens, in quo illud continetur. Deus autem necessariò vult suam essentiam, quantum volibilis est; eademque est ipsi finis adæquatus rerum omnium creatarum, vt nuper dictum est. Ergo necessariò vult creata omnia, quæ absolute velle potest.

2. Voluntas, quæ potest velle comprehensiuè motuum suum adæquatum, quin velit aliquid, non potest esse libera ad volendum hoc aliud. Quia non superest aliquid propter quod, ipsum velit. Deus autem potest velle comprehensiuè suam essentiam, quæ est motuum eius adæquatum, quin velit aliquid creatum. Ergo Deus non est liber ad volendum aliquid creatum, & caret necessariò omni volitione rei creatæ.

3. Si Deus esset liber ad volendum, & nolendum aliquid, esset quoque liber ad idem volendum pro vno tempore, & nolendum pro alio. Hoc autem est impossibile propter immutabilitatem Dei. Ergo & primum est impossibile.

4. Deus amat necessariò omnia entia creata, præcisè vt possibilia; vt fert sententia longè communior Theologorum. Eadem autem, vt existentia, sunt meliora. Quia in vnoquoque est melius existere, quam esse purè possibile. Ergo, à fortiori, amat Deus necessariò omnia creata, vt existentia; id est, vult necessariò, vt existant; sicut necessariò vult, vt sint possibilia.

5. Deus tenetur necessitate morali ad optimum in vnoquoque genere rerum creatarum, vbicumque illud est possibile, nec datur processus in infinitum melioris semper, & melioris. Tenetur verò ita, vt si contingeret non fieri tale optimum, eo ipso Deus desineret esse optimus, & summè laudabilis; id est, Deus desineret esse Deus; vt pluribus, & auctoritatibus, & rationibus, atque exemplis luculenter persuadet Montoya disput. 9. & 100. de voluntate Dei; & ea præsertim ratio efficaciter conuincit. Quod omnes Dei actus necessariò sunt optimi, ac summè perfecti, & tales, quibus ne cogitari quidem possit aliquid melius. Actus verò optimi non nisi de optimis obiectis esse possunt; quandoquidem bonitas cuiusque actus depēdet ex bonitate obiecti, tanquam ex mensura sua. Ergo libertas Dei circa res creatas, nec vniuersalis est, neque perfectè indifferens.

6. Non datur libertas absque libero arbitrio, vt est notum apud omnes; nec liberum arbitrium dari potest absque potestate indifferēti ad bonum, & malum, vt supponit apertè D. Hieronymus to. 4. in epist. ad Damasum Papam prope finem. In Deo autem non est potestas indifferens ad bonum, & malum, cum peccare minimè possit. Ergo in Deo non est libertas.

7. Si Deus esset omninò indifferens respectu omnium suorum effectuum; nullus effectus proueniret necessariò ex vlla causa secunda; nec vlla certitudo esse posset, quod ignis applicatus passo benè disposito combusturus ipsum esset potius, quam non

combusturus; & sic de similibus. Quia omnes causæ secundæ dependent essentialiter in omni sua operatione à cooperatione causæ primæ. Ergo existente Deo prorsus indifferēti ad cooperandum, & non cooperandum, nulla posset esse determinatio; nullaque absoluta certitudo vllius causæ secundæ producturæ potius, quam non producturæ aliquando aliquem suum effectum. Patet autem manifestè sequelam esse absurdam, & contradicentem communi, ac indubitato humani generis consensui.

8. Vniuersaliter est probabilius id fore, quod multipliciter, quam quod vno tantum modo contingere potest. Quod autem existat aliquid creatum, in finitis modis contingere potest, vt patet ex infinitate differentiarum temporis, & loci, & aliarum rerum creatarum, necnon combinationum inter ipsas, quæ, & pro quibus, & in quibus existere possunt. Quod verò nihil creatum existat, vno tantum modo contingere potest, nempe Deo volente se solum existere, & nihil vnquam præterea existere. Ergo ex natura rei, nullaque facta suppositione Deo libera, probabilius ab æterno fuit, fore aliquando aliquid creatum, quam nihil vnquam creatum fore. Ergo Deus ex sua natura non est omninò, & cum perfectò in vtramque partem æquilibrio indifferens, vt velit, & nolit existere aliquando aliquid creatum.

9. Non potest esse indifferens ad alterutrum ex duobus, qui non impellitur ad alterum ex vno motiuo; & ad alterum ex alio. Quia vnum, & idem non potest mouere ad opposita; cum inclinatio ad vnum aliquid sit fuga, & retractio ab opposito. Diuinæ autem voluntatis est vnicum motiuum adæquatum, vt supra dictum est, impotens proinde contradicere sibi mouendo ad aliquid, ad cuius oppositum simul moueat, & tantundem moueat. Ergo Deus ad nulla duo extrema potest esse indifferens.

Art. 1. Respondetur. Certum est, Deum amare necessariò se ipsum quoad omnia sua prædicata simpliciter necessaria. Primum, quia necessariò est beatus; & nequit esse beatus absque amore, & fruitione summi boni, quod est ipse Deus, vt est in se cum omnibus suis prædicatis necessariis. Deinde, quia omnia prædicata necessaria Dei sunt puræ perfectiones absque vlla imperfectione, & absque connexionne cum aliqua imperfectione. Purum autem huiusmodi bonum nihil habet, ratione cuius moueatur, ac determinetur voluntas ad nolendum, seu non volendum ipsum, si quidem perfectè innotescat prout est in se, sicut dictum est supra Deum innotescere sibi. Demum quia motiuum adæquatum voluntatis Diuinæ est essentia Diuina, quæ est essentialiter coniuncta cum omnibus prædicatis necessariis Dei, & non potest existere absque aliquo ex ipsis, cum non possit existere absque plenitudine totius suæ perfectionis. Motiuum autem vniuersale, & adæquatum voluntatis, non liberè, sed necessariò est volitum per ipsam. Quia nullum potest habere actum, qui non versetur circa ipsum, & ad quem non moueatur ab eodem; nec fieri potest, vt nullum habeat actum, seu determinationem, & exercitium suum. Eodem pertinet, quod Deus omne aliud bonum potest habere simul cum omnibus prædicatis suis necessariis; & absque iisdem nullum aliud bonum habere potest. Ergo nulla vllius rei bonitate inclinari, ac determinari potest, vt suspendat amorem sui secundum se, vel ex toto, vel ex parte; atque idèd necessariò amat se Deus secundum se præcisè, quantum amabilis est.

Art. 2. At respectu creaturarum tum singularum seorsim, tum quoad quamlibet ipsarum collectionem absolute possibilem, conuenit Deo absolute, & simpliciter, nullaque facta suppositione alicuius deter

determinationis suae libera: conuenit, inquam, perfecta libertas indifferentiae, absque vlla ad alterutram partem necessitate, seu metaphysica; seu physica, vel morali, reddente, vel certam, vel etiam aliquatenus probabiliorē electionem Diuinam in vnam aliquam partem potius, quā in oppositam. Ratio est. Quia omnis determinatio voluntatis ad media prouenit ex necessitate ipsorum ad finem, vel simpliciter, vel perfectius, aut commodius obtinendum. Volens etenim sanitatem, ex. gr. eo ipso determinatur, atque omnino necessatur ad volendum phar-macum, quod cognoscitur vnicē, ac simpliciter necessarium ad illam obtinendam: ad non ita necessarium, existimatum tamen efficacius, aut commodius non ita necessatur; inclinatur tamen magis ad illud volendum, quā omittendum. Ad ambulationem verō existimatum nullius prorsus ad id momenti esse, relinquatur omnino indifferens. Finis autem adequatus Diuinæ voluntatis est bonitas essentiae Diuinæ, ad cuius existentiam nullatenus sunt necessariae, nec quidquam omnino conferunt res vllae creatae, nec coniunctim: cum Deus sit bonum sibi se solo perfecte sufficiens. Quae omnia superius demonstrata iam sunt. Ergo Deus praecise ex natura rei, nullaue facta suppositione vllius suae liberae determinationis est perfecte liber, atque omnino indifferens ad volendam, & non volendam existentiam quarumlibet rerum creatarum, tum seorsim, tum coniunctim, & secundum omnem ipsarum considerationem absolute possibilem.

Art. 3. Istud argumentum vrget breuiter, & efficaciter Augustinus q. 22. ex 83. dicens. *Vbi nulla indigentia, nulla necessitas, vbi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo. Ergo nulla necessitas.* Eodem igitur modo excludit à se Deus ratione suae perfectionis omnem necessitatem respectu aliorum extra se, quo excludit à se omnem defectum. Defectum autem omnem ita excludit à se Deus, vt ne minimum quidem defectum patiatur, cum abundet omni perfectione absolute, & simpliciter possibili in omni genere, vt saepe dictum est supra, praesertim q. 14. Ergo ita excludit omnem prorsus necessitatem respectu aliorum extra se, vt ne minimam quidem necessitatem, seu diminutionem indifferentiae patiatur respectu cuiusquam rei creatae, aut collectionis rerum creatarum. Accedit quaecumque, vel minimam necessitatem moralem Dei; & qualemcumque diminutionem plenissimae indifferentiae respectu rerum creatarum, fore indistinctam ab indigentia earundem in eodem gradu. Quia necessitas Dei, qualiscumque ea sit, ad volendum aliquid, est indiuisum necessitas, vt illud idem existat, & habeatur à Deo. Quia velle Dei est essentialiter inductum rei volitae, iuxta illud. *Quaecumque voluit, fecit.* Et rursus quaelibet res creata per se ipsam essentialiter est propria Dei; ideoque necessitas, vt existat, est necessitas, vt habeatur à Deo. Indigentia autem alicuius rei nihil est aliud, quam necessitas, vt illa existat, & habeatur à patiente necessitatem. Cum ergo nulla vllius generis indigentia rerum creatarum detur in Deo, vt dicebat modò Augustinus, & colligitur ex illo pl. 1. §. *Bonorum meorum non eges*; patet nullam omnino necessitatem inesse Deo respectu rerum creatarum, sed perfectam, & plenissimam vndeque indifferentiam, nulla facta suppositione vllius suae liberae electionis, de qua dicendum est infra seorsim.

Ad 1. Volitio necessaria finis, tametsi comprehensua sit, non inducit necessariò volitionem mediorum, nisi haec sint necessaria ad finem. Quia talis finis non connectitur necessariò cum existētia mediorum, sicut connectitur antecedens cum consequenti. Deus autem non est finis, ad quem sit necessarium

aliquid creatum, sed se solo sibi sufficit, nec indiget creaturis, vt sit, vtque optime habeat; sed neque indirecte potest inducere essentia Diuina aliquam necessitatem existentiae creaturarum, quatenus est motuum itidem adequatum intellectus Diuini, vi cuius, tanquam antecedentis, possint cognosci creaturae non solum vt possibiles, sed etiam vt existentes. Quia essentia Diuina non mouet absolute se sola ad cognitionem existentiae creaturarum, sed conditionate tantum, nempe si dabitur cognoscibilitas ex parte ipsarum, & materia circa quam versari possit scientia visionis, vt patet ex q. 17.

Ad 2. Decet Deum, tum, vt sit solus, nulla simul cum ipso existente imperfectione creata, tum vt suam bonitatem communicet rebus aliis intrinsece ordinatis ad gloriam, & laudem ipsius. Vnde ad vtrumlibet ex his extremis, & consequenter ad vtrumlibet nolitionem moueri, atque determinari potest bonitate essentiae suae, vt amata comprehensiuē. Hoc nimirum discrimen intercedit inter finem purae excellentiae, ac decentiae, qualis finis est solus Deus, & finem vtilitatis, qualis est omnis finis creatus; vt ille aequē benē habeat cum mediis, & sine mediis conferentibus ad gloriam, & laudem ipsius inutilem eisdem; hic verò melius habeat cum mediis, vel simpliciter, vel secundum quid, vt pote vtilibus eisdem. Vnde fit, vt finis purae excellentiae, ac decentiae moueat ex parte actus primi ad vtramque partem contradictionis; finis verò vtilitatis magis moueat ad alteram partem determinatē sumptam. Vtrique tamen fini commune est, vt in actu secundo ad alterutram partem determinet. Quia neuter finis existere potest, aut cum vtraque parte contradictionis simul, aut cum neutra. Quapropter amor comprehensiuus vtriusque finis necessariò est electiuus, aut inductiuus electionis terminatae ad alterutrum extremum contradictionis ex parte mediorum. Ergo essentia diuina per se ipsam est sufficientia, & necessitas metaphysica vaga ad electionem circa quodlibet creatum, abique vlla necessitate determinata ad vnam potius partem, quā ad oppositam.

Ad 3. Omnis Dei volitio, & nolitio est indistincta à Deo, ac proinde ab aeterna ipsius duratione, atque ideo est essentialiter aeterna. Vnde fieri non potest, vt Deus mutetur, seu physice, seu intentionaliter, vtque incipiat velle, postquam noluit, aut e conuerso, transeundo ab altero ex his actibus ad alterum. Vno itaque indiuisibili actu vult, vt mutantur res creatae, & incipiant esse post suum non esse, atque e conuerso; vtque pro vno tempore sic habeant, & sic pro alio. Nec enim repugnat, vt idem actus cum primo exsistat, & pro eadem sua duratione velit opposita circa rem eandem pro diuersis durationibus eiusdem rei, quod vnicuique est experientia manifestum.

Art. 1. Ad 4. Possibilitas physica creaturarum est praedicatum simpliciter necessarium; est purum bonum; est indistincta realiter à Deo, vt apparet ex dictis q. 18. Opposita omnia conueniunt existentiae creaturarum, vt per se patet. Concesso igitur amore diuino necessario possibilitatis physice creaturarum, solus concedendus est amor diuinus liber existentiae earum.

Art. 2. Verum si sermo sit de creaturis, vt possibilibus, non physice, per denominationem extrinsecam ab omnipotentia Dei, quatenus eadem denominatio est intrinseca Deo, & indistincta ab eadem omnipotentia, sed vt possibilibus logice, & secundum habitudinem subiecti ad praedicatum (quam distinctionem tradit D. Thomas 1.2. q. 40. art. 3. ad 2. ex Philosopho 5. Metaph. text. 17.) dicendum est cum eodem D. Thoma in praesenti q. 19. art. 3. ad 6. scire quidem

quidem necessarium Deum, non tamen velle, seu necessarium, seu liberè creaturas præcisè, ut possibiles eiusmodi possibilitate. Ratio differentiæ est; quia voluntas fertur ad bonum præcisè, ut est in se ipso. Creatura autem præcisè, ut possibiles Logicè, seu ratione connexionis subiecti ad prædicatum, nullam habent bonitatem in se ipsis, quia illam ipsam connexionem non habent intrinsecè in se ipsis, ideòque non sunt capaces, quæ terminent actum voluntatis, præterquam secundum suum esse intentionale indistinctum ab actuali earum cognitione. At cognitio diuina ferri potest ad creaturas ut possibiles eadem ista possibilitate. Quia est proprium cognitionis diuinæ, ut possit representare factibilia non minus, quam ea, quæ facta sunt. Quia scientia habetur de rebus non solum ut sunt in se, sed etiam, & multò magis secundum quod sunt in sciente; nempe ratione speciei continentis in se similitudinem earum. Itaque voluntas diuina necessarium vult creaturas possibiles secundum unum genus possibilitatis, neque liberè, neque necessarium ferri potest ad eandem. Defectus huius distinctionis obseruatur à D. Thoma, & non obseruatur à quibusdam aliis, implicuit eisdem mirabiliter circa discrimen datum inter intellectum, & voluntatem; quod tamen est clarissimum, obseruata ea distinctione.

Art. 3. Iuxta eandem distinctionem, & rationem differentiationis inter intellectum, & voluntatem, dicendum consequenter est, Deum nullo actu voluntatis, seu libero, seu necessario, seu absoluto, seu conditionato versari circa futura contingentia, quatenus pure conditionata, secundum se præcisè considerata, sed solum amari à Deo esse intentionale ipsorum, quod est realiter indistinctum à scientia Dei, per quam cognoscuntur, ut taliter futura. Quia videlicet futura pure conditionata habent esse talia, seu habent futurationem conditionatam tantummodo per denominationem extrinsecam distinctam realiter adæquatè quoad suam entitatem ab ipsis effectibus, qui denominantur conditionatè futuri: sicut iidem effectus, & qui libet alij præcisè, ut possibiles habent esse tales, seu habent possibilitatem per denominationem extrinsecam distinctam realiter, ac entitatiuè ab ipsis rebus, quæ denominantur possibiles. Quapropter tam nulla conuenit bonitas actualiter effectibus, quatenus pure conditionatè futuris, quam nulla conuenit iidem, & aliis quibusuis, ut pure possibilibus per habitudinem subiecti ad prædicatum. Eadem igitur ratione repugnat aliquem actum diuinæ voluntatis, siue conditionatum, siue absolutum, & actualiter, & absolute terminari ad obiecta quatenus pure conditionatè futura, quæ repugnat, ut terminetur ad eandem, quatenus pure possibilia possibilitate consistenti in habitudine subiecti ad prædicatum; cum eiusmodi denominatio utrobique sit æqualiter extrinseca, nihil bonitatis ponens in rebus denominatis, sed solum illam supponens in forma denominante.

Ad 5. Nihil creatum, nullaque collectio rerum creaturarum propter magnitudinem suæ bonitatis potest inducere in Deum aliquam, vel minimam necessitatem volendi potius, quam nolendi. Quia omnia coniunctim, & singula seorsim, cuiuscumque generis sint, sunt omnino contemptibilia respectu Dei, & reputantur quasi nihilum, ut patet ex dictis. Auctoritates, quibus utitur Montoya, solum loquuntur de necessitate Dei, vel ad actus optimos, idque absolute, vel ad optimum obiectum creatum unicuique enti creato connaturale, ex suppositione, quod iam hoc existat, & fuerit omnino volitum à Deo liberè. Prioris generis auctoritates nihil faciunt pro scopo Montoyæ. Quia Deus non sola necessitate moralis, sed summa, & metaphysica necessitate tenetur ad

actus optimos, & quibus meliores ne quidem cogitari possint. Tali enim necessitate tenetur ad actus comprehensiuos motui formalis adæquati, summe, ac infinite boni; nempe comprehensiuos bonitatis essentia suæ, ut liquet ex questione præcedenti. Tota autem bonitas actus pendet ab obiecto formalis ipsius, nullaque est differentia bonitatis inter actus ex sola differentia bonitatis ex parte obiectorum pure materialium. Quapropter Deus habet actus semper simpliciter, & absolute optimos, siue velit, siue nolit creaturas; siue optimas velit, siue infimas. Nullus proinde actus diuinæ voluntatis est laudabilis, aut potest magni fieri laude comparatiua cum alio actu diuino, minusque æstimatiua alicuius alterius actus diuini, ut accedit in actibus creatis; sed omnes, ac singuli sunt summe ac infinite laudabiles, & æstimabiles secundum se, & secundum conceptum absolutum, solaque laus gratificatiua, quæ est laus latè tantum, & improprie talis, cum proprie sit potius gratitudo, & plausus accipientis beneficium, potest esse inæqualis ratione diuersorum actuum Dei, quatenus Deus per aliquos actus confert nobis maiora beneficia, quam per alios; & consequenter manifestatur nobis bonitas Dei magis per quosdam actus diuinos, quam per alios. Alias enim Deus indigeret collatione maximorum beneficiorum respectu nostri, ut esset laudabilis laude magnificatiua, atque valde æstimabilis; sicut nos indigemus eadem, ut optime habeamus, utque simus optimi. Quo nihil absurdius esse potest, ut apparet ex fundamentis superius propositis. Iam verò auctoritates, quæ loquuntur de necessitate Dei ad optimum unicuique connaturale ex aliqua suppositione Deo perfecte libera, expendentur infra q. 28. & nihil conferunt ad punctum præsentis controuersia. Quæsitum namque est de sola libertate, & indifferentia Dei, præscindendo ab omni suppositione Deo libera, seu de libertate, & indifferentia Dei quatenus præcedente omnem liberam determinationem Dei.

Ad 6. In Deo datur liberum arbitrium, sed absque imperfectione libertatis ad peccandum, quæ est propria arbitrij creati, & non pertinet ad conceptum liberarum arbitrij, ut sic, & vniuersaliter, ut patet in libero arbitrio Christi, & aliorum Beatorum. D. autem Hieronymus loquitur ibi de libero arbitrio non secundum eius conceptum vniuersalissimum, sed cum restrictione ad arbitrium immediatè, & experimentaliter nobis notum, ut patet ex toto contextu.

Ad 7. Illa ratio vexat plurimum, & sanè insolubiler, Alarconem, Alderum, & nonnullos alios, qui non agnoscunt necessitatem Dei moralem ad optimum unicuique rei creatæ connaturale, ex suppositione, quod res aliqua, & causa aliqua secundæ iam præexistant: De quo dicitur infra ex professo. Cæterum aduersus nostram præsentem sententiam nihil inde probatur. Quia omnis nostra certitudo de effectu aliquo determinato futuro potius, quam non futuro fundatur in dispositione causæ secundæ præexistenti iam, & nobis nota ante existentiam eiusdem effectus. Quæ praua dispositio causæ secundæ est coniuncta cum necessitate morali Dei ad effectum illi connaturalem, ut infra dicitur. Nunc enim solum agitur de libertate, & indifferentia Dei quatenus præscindente ab omni eiusmodi suppositione, eamque præueniente, & consideratis naturis Dei & reum creaturarum secundum se præcisè.

Ad 8. Pluralitas effectuum, aut modorum operandi maior ex vna parte, quam ex alia, tunc solum reddit magis certam futurationem vagam alicuius ex pluribus, quam ex paucioribus, aut quam vnicuique in composibilis cum tota plurium collectione, quando iuxta multipliciter eligibilum multiplicatur mo-

tiua

tina, & causæ eligendi valentes vi sua vnicuique peculiari trahere ad se voluntatem. At verò si multiplicatio sit purè materialis, nullamque eiusmodi virtutem motiuam adiungens, ac multiplicans, nulla poterit inde specialis, ac maior certitudo redundare electionis eam potissimum in partem casuræ. Quia quæ voluntatem nullatenus valent trahere ad se; trahere cum certitudine maiori nequaquam valent. Dictum autem est, obiecta creata nullam habere vim, vel etiam partialiter mouendi, & ad se pertrahendi voluntatem diuinam. Ergò præcisè ex natura rei, nullaque facta suppositione determinationis alicuius liberè à Deo conceptæ, inclinantis magis ad vnam partem, quam ad oppositam, non erat probabilius, aliquid creatum aliquando esse futurum, quam oppositum. Exemplum idoneum sumi potest ex balance, quæ in neutram partem inclinatur inæqualiter ex multitudine ponderum maiori ex vna parte, quam ex altera, si pondus nihilominus sit æquale utrobique, & adsit in vna parte vnum corpus æquiponderans multitudini corporum esistenti in altera parte. Videri plura possunt circa hanc materiam, & circa multiplices eiusmodi combinationes q. 5. & 6. de Gratia, vbi eiusmodi omnia discutiuntur ex professo.

Ad 9. Ad electionem perfectè liberam vtriusvis ex oppositis sufficit vnicum motiuum æquè bene habens cum utrobique ex illis, simulque impotens existere absque alterutro, cum aliunde neutrum dari possit, nisi dependenter ab electione voluntatis respicientis idem motiuum. Sic autem comparatur bonitas essentia Dei cum esse, & non esse creaturarum, & cum electione diuina. Quia Deus existere nequit absque alterutro ex illis extremis determinatè, vt per se patet; & neutrum eorum dari potest, nisi Deo illud determinante, ac eligente. Neque verò hinc sequitur essentiam diuinam sibi contradicere, quia inclinatur, & determinare potest ad opposita. Neutrum enim oppositorum quidquam prodest Deo, aut nocet. Vnde contradicto est ex parte extremorum, ad quæ inclinatur essentia diuina extrà se; non verò ex parte ipsarum inclinationum quatenus immanentium in Deo. Inclinationes namque ipsæ optimè coherent inter se; si quidem omnes adhærent vni formiter vni eidemque bono ratione sui adæquatè.



QVAESTIO XXI.

Utrum terminationes liberae Diuinae identificentur adæquatè cum Deo.



IDENTVR non identificari I. Quia quæ sunt inuicem separabilia realiter quoad esse, distinguuntur inter se realiter. Quod videtur esse principium per se notum. Quid enim notius esse potest quam nihil posse separari realiter à se ipso; nec posse existere aliquid, eodem ipso simul non existente? Profectò hæc separatio manifestius in se continet distinctionem realem separabilem, quam separatio quoad locum, ratione cuius fit vt aliquo alicubi existente non adsit ibidem realiter aliquod aliud prædicatum. Et tamen separatio quoad locum, ex confessione omnium, essentialiter includit in se distinctionem realem separabilem. Multò igitur magis separabilitas quoad esse. Quæ videlicet est maior, & summa simpliciter separabilitas. Deus autem, & terminatio libera ex. gr. connexa essentialiter cum existentia mundi, sunt inuicem separabiles quoad esse. Quia fieri absolutè potuit, vt existente Deo non existeret mundus, ac

proinde non existeret terminatio libera essentialiter connexa cum existentia mundi. Aliàs mundus, & terminatio, seu volitio diuina essentialiter connexa cum existentia eius non darentur liberè, sed necessariò, sicut Deus, & Deitas. Quod est absurdum, vt patet ex dictis supra. Ergo Deus, & terminationes liberae diuinae distinguuntur inter se realiter, distinctione saltem inadæquata, nec identificantur inter se realiter adæquatè.

2. Contingens, & necessarium includunt in se manifestam contradictionem. Quia alteri conuenit posse non esse; alteri verò non posse non esse. Ergo tam non possunt inuicem identificari realiter, quam non potest identificari realiter immensum, æternum, spirituale, cum aliquo materiali, temporali, circumscripto à loco. Terminationes autem liberae Dei sunt quid simpliciter contingens, & Deus est quid simpliciter necessarium. Quia de ratione liberi est contingentia, & de ratione Deitatis necessitas. Ergo.

3. Quidquid est identificatum realiter cum Deo, est infinite perfectum ratione sui formaliter. Quia ipsa capacitas, & exigentia identitatis cum Deo est infinita perfectio, & digna æstimationis infinita. Est autem contra conceptum perfectionis infinitæ, capacitas, & indifferentia ad non esse. Quia ipsum non esse, & capacitas non essendi, seu defectibilitas est maximus atque notissimus defectus, & imperfectio, à qua omnia fugiunt, quantum possunt. Ergo terminationes liberae Dei, de quarum conceptu est defectibilitas, & posse non esse, non sunt eatenus capaces identitatis realis cum Deo.

4. Denominatio præsens potest intrinsecè constitui saltem inadæquatè, per aliquid non existens de præsentia. Quia domus longè prius ædificata dicitur, & est antiqua de præsentia per denominationem intrinsecè constitutam partim duratione præsentia ipsius domus, partim iam præterita, & non existenti amplius actualiter. Similiter propositio de futuro contingenti est vera, vel falsa determinatè de præsentia, & constituitur in ratione talis partim per suam entitatem actualiter præsentem, partim per existentiam, vel non existentiam ipsius futuri contingenti, quæ non datur de præsentia determinatè, sed dabitur postea. Rursus voluntas nostra potest vltimò compleri in ratione volentis per aliquid purè physicum positum extra ipsam. Quia volens conditionatè per suum actum secundum se, redditur volens absolutè per solam positionem conditionis purè physicæ, & existentis extra volentem. Ergo etiam Deus potest constitui in ratione volentis determinatè, vel determinatè nolentis ab æterno res creatas, partim per volitionem suam necessariam essentialiter æternam, qua vult disiunctiue res quolibet creatas existere, vel non existere, & partim per existentiam, vel non existentiam rerum creatarum in tempore, tanquam per formam partialem eius denominationis, vt quibusdam placet; vel, vt volunt alij, tanquam per conditionem sine qua non requisitam, vt volitio Dei necessaria ex se præcisè disiunctiua denominet ipsum, vel determinatè volentem, vel nolentem determinatè. Quo cessat omnis huius rei difficultas, & tollitur omne inconueniens, omnisque apparentia, & vmbra inconuenientis, imò inconuenientium plurium, quæ ponderata sunt tribus argumentis iam propositis aduersus terminationes liberae adæquatè identificatas cum Deo. Quæ propterea admittendæ nullatenus sunt.

5. Volitio necessaria Dei, quatenus necessariò vult determinatè se ipsum, & creaturas quatenus physicè possibiles, disiunctiue verò existentiam earum, vel non existentiam, continet in se omnem perfectionem absolutè possibilem in genere volendi.

Omnibus